

EPISTOLA AD QUENDAM MINISTRUM [EpMin]

¹ Fratri [N.] ministro, Dominus te benedicat (cfr. Num 6,24a). ² Dico tibi sicut possum, de facto anime tue, quod ea que te impediunt amare Dominum Deum, et quicumque tibi impedimentum fecerint, sive fratres sive alii, etiam si te verberarent, omnia debes habere pro gratia. ³ Et ita velis et non aliud. ⁴ Et hoc sit tibi per veram obedientiam Domini Dei et meam, quia firmiter scio quod ista est vera obedientia. ⁵ Et dilige eos qui ista faciunt tibi. ⁶ Et non velis aliud de eis, nisi quantum Dominus dederit tibi. ⁷ Et in hoc dilige eos, et non velis quod sint meliores christiani. ⁸ Et istud sit tibi plus quam eremitorium.

⁹ Et in hoc volo cognoscere si tu diligis Dominum et me servum suum et tuum, si feceris istud, scilicet quod non sit aliquis frater in mundo qui peccaverit quantumcumque potuerit peccare, quod, postquam viderit oculos tuos, **umquam** recedat sine misericordia tua, si querit misericordiam. ¹⁰ Et si non quereret misericordiam, tu queras ab eo si vult misericordiam. ¹¹ Et si millies postea coram oculis tuis peccaret, dilige eum plus quam me ad hoc, ut trahas eum ad Dominum; et semper miserearis talibus. ¹² Et istud denunties guardianis, quando poteris, quod per te ita firmus es facere.

¹³ De omnibus autem capitulis que sunt in Regula, que loquuntur de mortalibus peccatis, Domino adiuvante in capitulo Pentecostes cum consilio fratrum faciemus istud tale capitulum: ¹⁴ Si quis fratrum instigante inimico mortaliter peccaverit, per obedientiam teneatur recurrere ad guardianum suum. ¹⁵ Et omnes fratres qui scirent eum peccasse, non faciant ei verecundiam neque detractionem, sed magnam misericordiam habeant circa ipsum et teneant multum privatum peccatum fratris sui, *quia non est opus sanis medicus, sed male habentibus* (Mt 9,12; cfr. Mc 2,17). ¹⁶ Similiter per obedientiam teneatur eum mittere custodi suo cum socio. ¹⁷ Ipse custos misericorditer provideat ei, sicut ipse vellet provideri sibi, si in consimili casu esset. ¹⁸ Et si in alio peccato veniali ceciderit, confiteatur fratri suo sacerdoti. ¹⁹ Et si non fuerit ibi sacerdos, confiteatur fratri suo, donec habeat sacerdotem qui eum absolvat canonice, sicut dictum est. ²⁰ Et isti penitus non habeant potestatem iniungendi aliam penitentiam nisi istam: *Vade et amplius noli peccare* (cfr. Joa 8,11).

²¹ Hoc scriptum, ut melius debeat observari, habeas tecum usque ad [capitulum] Pentecostes; ibi eris cum fratribus tuis. ²² Et ista et omnia alia que minus sunt in Regula, Domino Deo adiuvante, procurabitis adimplere.

21: lacune in archetype. *ibi* veronderstelt dat ergens dichtbij een plaats is genoemd. Daarom geeft Paolazzi *Pentecosten* een genitief-s.